



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

20. Olim fuit inter me, & religiosum Dominicanæ familiæ orta hæc
quæstio. An debitor morosus inculpabiliter teneatur suo creditori ad
interesse damni emergentis, seu lucri ceßantis? Sed pro decisione ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76413)

teneretur, quia talis contractus licet materialiter & illicitus, ex obiecto tamen, & formaliter est licitus. At ita etiam sentiunt aliqui Theologi ex Societate Iesv à me de hac re consulti. Sed, quia in tali contractu apponitur pactum, ut si venditor frumenta non tradidit, possit emptor illa emere, ut vulgò dicitur, *alle maggiori valore*; ideo quaritur.

RESOL. XVIII.

An in supradicto contractu, si venditor non tradat frumenta tempore praefixo, possit emptor petere, & accipere summum in illo anno frumentorum valorem, qui dicitur, le maggiori valore? Ex part. 1. tract. 8. Resol. 17.

Sup. hoc in Ref. seq. & in Ref. post seq. lege doctrinam §. His suppositis, & infra ex Ref. 22. §. 1.

§. 1. **R**espondeo negativè: quia non est certus, an vendidisset illa frumenta eo tempore, quo illo summo pretio valebant: ideo ex pretiis præteritis debet relinquere pretium rigorosum, & infimum, & accipere medium. Igitur, si ab Augusto vsque ad mensem Ianuarium, pretium frumenti fuit aliquando tarenorum 40. aliquando 45. & aliquando 50. non sumatur in tali casu pretium infimum, quod fuit tarenorum 40. nec rigorosum, quod fuit tarenorum 50. sed medium, nempe, tarenorum 45.

2. Sed, si in illo tempore, quo frumentum valuit tarenos 50. emptor illud vendere determinasset, posset utique summum valorem accipere: non autem, si in illo tempore nihil de tali venditione cogitavit, vel determinavit. Et ita in simili casu docet Villalobos in *summ. p. 2. tract. 21. dub. 7. n. 10. Salas tract. de empt. & vend. dub. 30. n. 5. Lessius lib. 2. c. 21. dub. 4. num. 20. Azorius part. 3. lib. 8. c. 9. q. 1. in fine. Molina tom. 2. tract. 2. disp. 35. n. 6. Salomius in 2.2. tom. 2. q. 88. art. 22. contr. 21. n. 6. Pitigianus in 4. sent. tom. 2. dist. 15. conclus. 6. in fin. fol. 205. & Bonacina de contract. disp. 3. quest. 2. punct. 4. num. 16. & Conradus in respons. p. 1. quest. 134.*

3. Sed, licet hoc sit verum, & consulendum pro contraria tamen parte potest adduci doctrina Valq. *Opusc. de refut. c. 5. §. 1. dub. 12. n. 77.* & communiter aliorum Doctorum apud Lessium lib. 2. cap. 15. dub. 16. n. 109. nempe, quod si incertum sit, quo pretio, aut in quo statu dominus rem futuram erat venditurus, tunc in tali casu tenetur restituere secundum optimum statum, & summam æstimationem, quam interea habuit. Et ratio est: quia in eo statu vendi poterat; & in dubio melior est conditio innocentis, & in eius favorem est inclinandum. Sed eadem est ratio in casu nostro: quia venditor iniuste detinet frumentum, & illud non tribuit emptori; & emptor tale frumentum poterat vendere eo tempore, quo carius valebat: ergo restituendum erit secundum summam æstimationem; quia, ut diximus, in eo statu vendi poterat. Dices, hoc verum esse in fure; non autem in debitore moroso, ut est in casu nostro. Respondeo, in utroque casu militare eandem rationem: nam, ut bene docet Tannerus in 2.2. *D. Thom. disp. 4. q. 6. dub. 1. n. 49.* mora æquivaleret iniustæ acceptioni, etiam directè voluntariæ: & ideo ex hac doctrina multi Viri docti, de hac re à me consulti, non obligant ad restitutionem ita facientes, sed an probabiliter, remitto me iudicio aliorum.

RESOL. XIX.

An venditor, non tradendo rem venditam tempore determinato, teneatur emptori ad interesse non solum intrinsicum, sed etiam extrinsecum? Et notatur, quod debitor in tali casu tenetur tantum ex

mora culpabili, non autem si inculpabiliter rem venditam non tradidit, nisi pactum in contractu positum non obstat. Ex part. 3. tract. 5. & Misc. 1. Ref. 114. alias 113.

§. 1. **H**æc questio in praxi sæpius solet contingere, & affirmativè respondent Turrianus in 2.2. tom. 2. disp. 59. dub. 8. n. 12. Filiucius tom. 2. tr. 35. c. 8. n. 174. & alij ubi supra, qui aiunt, si emptor soluit, & obtulit pretium venditori, & venditor sit in mora rei tradendæ, omnes fructus deberi emptori; imò venditorem teneri illi ad omne interesse intrinsicum, ut si plus fructuum ex re fuisset percepturus, si res deterior est facta, vel minoris pretij interim dum apud venditorem fuit, & emptor si eam habuisset, opportunè, & cum lucro alienasset: vel non esset apud eum redditus deterior. Et ratio horum omnium est, nam tunc vendens non tradens rem, verè est causa, ob quam emens non percipiat fructus ex re sibi debita, debita enim erat ab eo die traditionis. Ergo, &c. Hinc Megala in 2.2. lib. 2. c. 6. q. 1. n. 37. docet, quod si, v.g. venditum est frumentum, & à die quo traditio erat faciendâ vsque ad diem, quo purgatur mora, frumenti pretium auctum est, hoc augmentum semper venit in æstimatione interesse; & illud venditor debet restituere emptori.

2. Sed hæc omnia procedunt in ordine ad interesse intrinsicum; difficultas est, an idem dicendum de interesse extrinsecum, id est, quod per accidens emptori evenit, ut si emptor negotiaturus rem, illam erat, v.g. in alium locum transferendo, ubi plurius valebat, vel, quia mancipia mortua sunt fame ob rem non traditam, &c. Respondeo contra Molinam de iust. tom. 2. tract. 2. disp. 368. n. 10. quod in tali casu venditor morosus tenetur etiam ad interesse extrinsecum, & ita docent Lessius lib. 2. c. 21. dub. 15. n. 102. Rebullius part. 2. lib. 9. q. 17. sect. 2. n. 9. Megala loco citato n. 39. & alij; nam cum venditor in tali casu ex iniusta rei detentione est causa damni, tenetur ad totum interesse, Nota verò, quod hæc omnia vera sunt in foro conscientie, nam in foro externo venditor tenetur solum ad interesse intrinsicum, & non ad extrinsecum, ut apparet in 1. *sterilis, §. cum per venditorem, ff. de action. empti.* Nota etiam, quod debitor in tali casu tenetur tantum ex mora culpabili, non autem si inculpabiliter rem venditam non tradidit; nisi pactum in contractu positum non obstat, nam, ut in 1. *miscellan. refol. 49.* quam nunc hanc sequetur. Diximus pacti etiam ex mora inculpabili debetur interesse. Quæ omnia valde à Confessariis notanda sunt; nam passim accidunt in praxi.

RESOL. XX.

Olim fuit inter me, & Religiosum Dominicana familia orta hæc questio. An debitor morosus inculpabiliter, teneatur suo creditori ad interesse damni emergentis, seu lucri cessantis? Sed pro decisione huius questionis primo supponuntur aliqua alia intelligenda pro supra dicto casu. Ex p. 2. tr. 15. & Misc. 1. Ref. 49.

§. 1. **N**otandum est pro decisione huius casus, debitor ex delicto, vel quasi delicto, teneri sub mortali statim restituere, dum commodè potest, alioquin censetur esse in mora, in re *furtiva, ff. de condit. & c. furti.* Debitor verò ex contractu, vel quasi contractu tenetur restituere, statim ac elapsus est terminus solutioni constitutus, etiam si non admoneatur, nam dies definita interpellat pro domino, c. *fin. de locato, & conditio.* Si verò non fuit constitutus terminus ad soluendum, debitor non videtur esse in mora, aut graviter peccare, non

De Contrarietib. & Cambiis. & c. Resol. XXI. 129

non restituendo antequam admonetur. Nam creditor sciens, & potens petere, videtur dilationem concedere, non petendo. Secus dicendum est, si petat, vel si non petat ob timorem, vel impotentiam, vel obliuionem; tunc enim debitor dicitur alienum retinere, inuito domino, & censetur esse in mora, non restituendo. Ita Petrus à Nauarra. *lib. 4. c. 3. n. 12.* Azor. *part. 3. lib. 4. c. 2. 4. quest. 2.* Salomius *in 2. 2. q. 77. art. 2. contr. 8. n. 17.* Rebellius *part. 1. lib. 2. qu. 17. sect. 1. n. 4.* Couart. *in reg. peccatum, part. 1. §. 1. n. 1.* & iterum Rebell. *part. 2. lib. 1. de contr. in genere, q. 4. n. 2.* Reginald. Medina, Syluest. & alij.

2. His suppositis, ad propositam dubitationem, affirmatiue respondit Molina *de iust. tom. 1. disp. 3. §. 5. n. 2.* ubi ait: Dicendum est eo ipso, quod aliquid mutuo datur ad certum terminum, teneri mutuatarium ad damnum emergens, atque ad lucrum ex eo mutuantem cessans, quando in termino prefixo solutio non fiat, idque esto, absque mutuatarij culpa solutio non fiat, vel quod soluendo non fuerit, vel alia simili de causa, quæ tamen ex parte mutuantis non proueniat. Ratio est, quoniam eo ipso, quod terminus solutioni mutui prefigitur, tacite, ac virtute censetur interuenire pactum, quod mutuatarius teneatur ad interesse, quo mutuantis defectu solutionis in eo termino priuatur. Quare cum obligatio illa ex contractu oriatur, consequens est, vt esto, absque culpa etiam iuridica mutuatarij solutio sit omnia, teneatur ad eiusmodi interesse, nulla expectata sententia. In hac sententiam inclinat etiam Emanuel Sá *ver. mora, n. 2.* ubi in fine asserit, hanc opinionem videri vlti mercatorum receptam. Reginaldus verò *tom. 2. lib. 2. c. 7. n. 77.* cum Latio Zecchio *in sum. 10. 2. r. de usuris, cap. 1. 6. n. 1.* puta ex mora inculpabili oriri obligationem tantam ad interesse intrinsecum, id est, quod ex re mutuatata profluxit v.g. mutuatui fœnum, quod à tempore moræ vendere possem 20. & nunc tantum vendere possum 15. teneris restituere illius interesse, sed non oriri obligationem ad interesse extrinsecum, quod procedit quidem ab alio, quam à mutuo non soluto, ipsa tamen non solutio dedit illi occasionem, vt v.g. quando occasione fœni non soluti, fœmie mortua est vacca creditoris.

3. Sed ego absolute existimo, cum Ioan. Salas *tract. de usuris, dub. 19. n. 5.* quem nouissimè sequitur Bonacina *de contrati. disp. 3. §. 9. n. 1. p. 1. n. 5.* Malderus *in 2. 2. r. c. 1. dub. 1. 2. q. 4.* Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 10. n. 70.* Rebellius *part. 2. lib. 8. quest. 7. n. 4.* & seq. quando mora est inculpabilis, & non præcessit pactum de soluendo interesse procedente etiam ex mora inculpabili, debitorem non teneri de damnis, quia non potest obligari, nisi ex culpa, vel pacto quorum neutrum interuenit. Et hoc videntur docere aperte Syluest. *ver. mora, q. 1. & Artmil. n. 1. de reg. iuris, in 6.* ubi dicitur. Non est in mora, qui potest exceptione legitima se tueri; & omisso inculpabilis nullam habet rationem acceptionis, aut retentionis iniuste, quæ constituitur radix obligationis ad restitutionem.

4. Ad argumentum Molinæ respondetur, quod tantum pactum non videtur extendi ad hunc casum, alioquin enim nimis durum esset, cum ad impossibile nullus obligetur; ex regula sexta *de reg. iuris, in 6.* ex his apparet, non bene illum Religiosum dixisse, me de hoc casu consultum, opinionem improbabilem, & nimis laxam consuluisse, est enim hæc opinio communior, & probabilior, quidquid asserat Molina.

RESOL. XXI.

An debitor morosus sit monendus à creditore, antequam accipiat pecuniam cum interesse propter eius moram? Ex p. 1. r. 8. Ref. 87.

§. 1. **H**ic casus frequentissimus est in praxi: v.g. Petrus debitor non soluit tempore prefixo, & ob id Paulus creditor alitricus est cum interesse accipere tantum, quantum erat debitum: quaritur, an teneatur monere Petrum, se velle mutuum ab alio accipere sub vsuris? Affirmatiue respondet Azorius *p. 3. lib. 5. c. 4. q. 3.* Et ratio est: quia fortasse Petrus debitor de hoc monitus, vel soluisset debitum, vel alio modo prouidisset, ne Paulus creditor damnum pateretur.

2. Sed contrariam sententiam, & merito, docent Petrus Nauarra *de restit. 1. 3. c. 2. num. 181.* Malderus *in 2. 2. tract. 5. dub. 12. §. dico 3. q. 2. & Scaccia tract. de commerce. §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. n. 263. & 266.* Dico igitur dictam monitionem, seu protestationem laudabiliter creditores efficere, sed non esse necessariam: quia mora debitoris iam causauit obligationem, & damnum illud creditoris, quod sequitur, non procedit à monitione, seu protestatione, quam faceret creditor; sed procedit à mora ipsius debitoris, damno inde sequuto: & creditoris damni æstimatio non magis debetur, quia fuerit protestatus, quam si non fuerit protestatus. Cæteras rationes vide apud Scacciam *loc. cit.*

RESOL. XXII.

Aliaq. notabilia circa debitores morosos. Ex p. 5. tr. 13. & Misc. 1. Ref. 78.

§. 1. **D**ebitor morosus tenetur ad restitutionem tantam damni emergentis, quam lucri cessantis. Ita Filiucius *tom. 1. r. 33. c. 9. n. 151.* Rebell. *p. 2. lib. 8. q. 7. n. 1. concl. 1.* Lessius *lib. 2. c. 20. dub. 10. n. 69.* Reginaldus *tom. 2. lib. 2. c. 7. n. 76. & 77.* Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 3. §. 6. & alij.*

2. Et hoc procedit etiam si elapso termino creditor non petat debitum, nam terminus petit, & interpellat pro creditore, ita Bonacina *de controuers. disp. 3. quest. 3. p. 1. n. 4.* Lessius, & alij.

3. Procedit etiam si debitor fuerit in mora per plures annos, nam tenetur soluere omnia interesse illorum annorum non tantum primi anni, & etiam debetur interesse ipsius interesse. Ita Filiucius *tom. 2. tr. 34. p. 2. c. 4. n. 72. & 86.* cum alijs.

4. Procedit etiam si hoc ipsum non indicauerit creditor, qui fortè tanto intellecto incommodo debitum reddidisset. Ita Malderus *in 2. 2. r. 5. c. 3. dub. 12. col. 4. q. 2.* ex Nauarra *de rest. lib. 3. c. 2. num. 181.* Scaccia *de commerce. §. 1. q. 7. p. 2. ampliat. 8. n. 263. & 266.* contra Azorium *p. 3. lib. 5. c. 8. q. 3.* & tandem procedit, etiam si mora non sit culpabilis, & hoc non solum quando adest pactum de soluendo damno, sed etiam quando tale pactum non fuerit in contractu expressum. Ita probabiliter Molina *tom. 2. tr. 2. disp. 3. §. 5. n. 2.*

RESOL. XXIII.

An aliquis teneatur restituere lucrum cessans, vel damnum emergens alicuius contractus mutui, vel venditionis: si mora fuit inculpabilis?

Et quid est dicendum, quando in contractu apponitur pena conventionalis; non vt satisfactio pro interesse; sed quatenus ad soluendum in termino debitor adigitur? Ex p. 1. tr. 8. Ref. 43.

§. 1. **R**espondent affirmatiue Doctores, si adsit pactum, & à principio conuentum sit de interesse proueniente ex mora: secus autem, si tale pactum non adsit. Et ita docet Salas *de empr. dub. 2. 1. n. 4.* Filiucius *tom. 2. tr. 34. c. 4. dub. 85.* & alij penes ipsos.

2. Imò Homobonus *de exam. Eccles. p. 2. tr. 9. c. 15. 18.*

q. 45.

Sup. hoc in Ref. præterita cursim p. 18 post initium & in Ref. seq. §. Et hoc.

Sup. diff. contenta in §. 1. huius Ref. in Ref. post præterita. §. His suppositis, & lege doctrinam aliarum Ref. & §. eius not. Sup. contento in hoc §. in Ref. præterita, & in alia eius not.

Sup. hoc in Ref. seq. & in alijs eius primæ not.